

www.e-rara.ch

Dissertationum theologicarum de officio doctoris christiani tertia

Frey, Johann Ludwig

Basileae, [1714?]

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: KiAr H III 27:34

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-81582>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

272
DISSERTATIONUM THEOLOGICARUM
DE

769
34.
OFFICIO DOCTORIS
CHRISTIANI

TERTIA

Quam

Juvante Supremo Ecclesiæ
Doctore Christo

PRÆSIDE

JOH. LUDOVICO FREY

S. Theol. Doct. ejusd. Prof. Extr. Hist. Ord.

Pro consequendo Examine S. Ministerii

Publico Eruditorum Examini

Ad diem 16. Maji. Ann. 1714.

Horis locoque consuetis

Submittit

CASPAR WETSTENIUS

J.R.F. J.R.N.



BASILEÆ, Typis Friderici Lüdi, Acad. Typogr



OFFICIO DOCTORIS
CHRISTIANI

TERTIA

Quarta

Juvenis Supremis Ecclesiae
Doctore Christo

PRESIDE

JOHANNES LUDOVICUS FREY

S. Theol. Doct. et Prof. Publ. Hist. Old.

The consensu Examine S. Ministerii

Publico Examinando Examine

M. A. 18. April. Ann. 1714.

Hort. Locustae continet

Scholaris

CASPAR WETSTENIUS

J. R. J. R. N.



BASILEAE, Typographi Joh. A. et J. P. 1714.

DE OFFICIO DOCTORIS CHRISTIANI

PARS II.

CAPUT IV.

*De Officio Doctoris Christiani circa Theologiam.
Quæ sit natura & finis Theologiæ Christianæ.*

I.



Uomodo in explicatione S. Scripturæ versandum sit Doctori Christiano, in superioribus vidimus. Sequitur, ut expendamus, quid ei agendum circa dogmata Theologica seu ipsam Theologiam. Eum enim in finem legit Scripturam S. ut quid

Deus in verbo suo ab homine requirat, in explorato habeat. Duo vero præcipuè sunt, quæ hâc in re cognoscere, Doctoris nostri interest, cum quidnam sit illud, quod & ipse imprimis perdiscere atque alios docere debeat: tum quomodo hoc aliis sit tradendum. Atque hîc nemo à me expectet, ut singula Theologiæ capita percurram, quidque de veritate, momento, necessitate, ordine aliisque in Theologia tradenda observandis, sit sentiendum, prolixè exponam. Spissi voluminis res esset, nec par viribus nostris, nec arctis dissertationis cancellis constringenda. In genere nonnulla observare circa Theologiæ rationem lubet, variis Theologiæ capitibus nullo negotio applicanda, quibusque facile

H

erit

erit perspicacioribus plura adjicere. Vix autem melius utrumque illud supra dictum consequemur, quam si, quæ nam sit vera indoles, natura atque finis doctrinæ Christianæ, diligenter inquiramus; hoc enim cognito & perspecto, Doctori nostro latere non poterit, & quid ei sit docendum & quomodo.

2. Prout enim hæc se habent, ita diversimodè Doctori nostro agendum, res ipsa loquitur. Si ea sit natura Theologiæ, is finis, ut ad quæstum faciendum comparata, homini de magna copia bonorum mundanorum, de divitiis, de voluptatibus, de dignitatibus prospiciat, ea inprimis loca Scripturæ notabit & excerpset, quæ ad finem istum consequendum ei quam maximè facere videntur: reliqua ita explicabit, ut cum istis stare queant. Urgebit summam Dei in bonis istis corporalibus distribuendis liberalitatem: Urgebit elogia hinc inde in Scripturâ divitiis, honoribus tributa: Amplitudinem & magnificentiam regni Christi ex phrasibus figuratis & prophetis, ita splendide depinget, ut nullum aliud Regnum terrenum cum hoc pompâ, gloriâ bonorumque terrenorum affluentia ullo modo certare possit. Ministros nobis exhibebit eâ dignitate præfulgentes, iis honoribus auctos, eo pecuniæ censu illustres, ut Crassos, Pompejos, Augustos longissimo intervallo post se relinquant.

3. Si is sit scopus veræ Theologiæ, ut hominem in speculationibus subtilibus quam exercitissimum reddat, ut ingenium in resolutione difficillimorum nodorum mirum in modum acuat, ut ad perpetuas de notionibus & vocibus concertationes altercationesque magno nisu & ardore trahendas,

das, quam consummatissimè instruatur, quid aliud agendum censēs Doctōri nostro, quam ut & ipse hanc tantopere adamatam subtilitatem sibi ocysimè accquirat, & aliis pro virili, nullo ad hoc idoneo subsidio neglecto, viam ad eam consequendam monstret: idque imprimis sibi negotiū datum esse intelligat, ne vel facillimum Theologiæ dogma ita exponat, ut & ab aliis hujus scientiæ rudibus capi queat, neque ullum Scripturæ locum explicet in eum sensum, quem plebejus quispiam, non nisi sensu communi & docilitate quadam præditus, proprio Marte invenire potuisset.

4. Si scopus Theologiæ sit, Logicam, Physicam, Mathematicam docere, si abdita naturæ arcana in Scripturâ nobis patefacere constituit Deus, non melius ocium laboremque collocari existimes, quam si ex illis locis, qui de re quadam naturali agunt, systema naturale componas: reliquam vero Scripturam & experientiam ita flectas, accommodes, torqueas, ut idem dicere cum illis videantur: tum vero haud ineptè circulationem sanguinis, lapidem philosophicum, aëris elaterium, tria elementa & quæ sunt istud genus plura, in illâ quæris.

5. Si hoc sit Doctorem Christianum agere, in explorato habere ritus & antiquitates Judæorum, Orientalium, Græcorum, Romanorum, ad unguem cognoscere formam calceorum, eorumque discrimen à sandaliis, exactè scire, num unâ an ambabus manibus vannum agitaverint veteres &c. ita digerere posse rationem temporum antiquorum, ut vitium nullibi faciat Chronologiæ ædificium; age,

diu noctuque verset Doctor noster penum illum antiquitatis, nullis sumtibus, labori nullo parcat, quominus sibi præclaram hanc antiquarum vestium cognitionem comparet, vel cum damno priorum tegmentorum; Chronologiæ verò ita det sedulam operam, ut centies malit sibi spinosis illis quæstionibus excuti cerebrum, quam vel in dieculæ discrimine turpiter aberrare.

6. Si verò in nullo horum similiumque sita est doctrinæ Christianæ vis, si planè alterius generis hæc est scientia, quænam genuina ejus sit indoles, restat inquirendum. Nemo, ut arbitor, ea quæ diximus, in hanc mentem capiet, ac si singula horum institutorum prorsus damnaremus, quocunque tractata modo: ac si Philosophicarum aut Philologicarum disciplinarum adminicula penitus respueremus. Novimus, quam præclarus harum, ut in omni genere alio rerum, ita ad ipsam Theologiam felicius imbibendam usus sit; Id duntaxat volumus, non esse hunc finem doctrinæ Christianæ. Quamdiu illa, ceu media & instrumenta, ad genuinum Theologiæ finem consequendum valde idonea adhibentur, tantum abest, ut studiosos nostros ab istorum cognitione depellere conemur, ut potius omni serio istud ipsis studium commendemus: dummodò, inquam, in istis mediis non subsistant: dum verum finem semper ob oculos habentes, omnia ad illum dirigant: dummodò ne nimium temporis, neglecto eo, ad quod hæc omnia diriguntur, & absque quo nullius sunt pretii, istis tribuant: dummodo non se jam ad adytum Theologiæ penetrâsse comparatâ sibi hâc scientiâ existiment,

ment, cum adhuc præ foribus aut in limine versantur.

7. Quæ ergo nostræ disciplinæ indoles, qui scopus? Aut omnia me fallunt, aut facillima ad istam quæstionem responsio est. Doctrina Christiana, doctrina salutis est, monstrans, quam beatitudinem Deus homini paraverit, & quæ ad illam ducat via. Doctrina Christiana doctrina perfectionis est, ostendens, quibus modis summam in hac & præcipuè alterâ vitâ perfectionem consequi possit homo. Id ergò præcipuè animo sibi proposuisse summum nostrum Doctorem, patefaciendo mundo doctrinam suam, credere par est, ut quam perfectissimum sanctitatis typum in illâ nobis exhiberet, ad quem compositæ actiones nostræ, Deo quam maximam gloriam, nobis quam absolutissimam perfectionem conciliarent.

Vera, inquam, solidisque innixa principiis Sanctitas pietasque, quam latissime patet harum vocum vis, illud est, quod disciplina nostra sibi propositum habet: quod cum nemo possit ignorare, quamplurimi autem ita in Theologia tradenda versentur, ac si id ignorarent, argumentis nonnullis constabilire haud abs re futurum credimus.

8. Et primo quidem loco tam clarè nobis indolem scopumque hujus disciplinæ disertis verbis ob oculos ponunt Scriptores S. ut ad illud forte non attendere quivis, ignorare possit nemo. Et ipse mundi salvator Christus & ejus discipuli, nemine excepto, hoc toties & tam perspicuis verbis inculcant, ut nisi statuamus, illos genium atque indolem doctrinæ suæ penitus ignorasse, hæsitare hîc nequeamus.

- mus. Cujus gratia in mundum venit Christus? Respondet Angelus *Matth. 1. 21.* Nomen ejus erit Jesus: *ipse enim σωσὶς liberabit populum suum a peccatis suis.* Liberabit, non modo à reatu peccatorum, efficaciam mortis suæ, sed & à dominio inhabitantis peccati, efficaciam Spiritus & verbi: ita enim salvavit
- Eph. V. 26. 27.* *Ecclesiam suam, ut eam sanctificaret, à se purificatam lavacro aquæ per verbum, ut sisteret eam sibi gloriosam, Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut quidquam ejusmodi: Sed ut sit sancta & inculpata.* Ita
- Tit. II. 14.* salvavit, ut tradens semetipsum pro nobis redimeret nos ab omni iniquitate & purificaret sibi populum peculiarem accensum studio bonorum operum. Hæc itaque salus, cujus parandæ causa in mundum venit Christus, & à quâ voluit denominari, numquid diversum est ab illa solidâ pietate?
- Matth. IX. 13.* 9. Respondet ipse Christus: *Non veni vocatum justos sed peccatores ad resipiscentiam.* Procul dubio non ad fictam & hypocriticam; Nec tantum ad externam aut imperfectam resipiscentiam: Sed ad solidam, genuinam atque Deo acceptam, qualis illorum, qui ex sincero odio cujuscunque peccati, cordi suo penitus impresso, ita sibi per fidem in Christum cavent ab omni offensa, ut corde integro purgati, Deo serviant in novitate vitæ. Respondet Petrus: *Act. III. 26.* *Vobis Deus suscitatum suum filium Jesum misit, qui benediceret vobis, unoquoque sese avertente à pravitatibus vestris vel ut ἐμψατικῶς ἔγωγας habent Græca ἐν τῷ ἀποστέλλειν ἕκαστον ἀπὸ τῶν πονηριῶν ὑμῶν.* ut averteret quemlibet à pravitate sua. Potuitne clarius indicare, purificationem naturæ humanæ, ejusque sanctam restaurationem præcipuè Deo, mit-
- tendo

tendo Filium suum, cordi fuisse? Respondet Paulus:
Apparuit benignitas & Φιλαγγωπία servatoris nostri Tit. III. 4.
Dei: quem in finem? ut salvaret nos per lavacrum re-
generationis & renovationem Spiritus S. &c. En hic finem
 apparitionis Domini in carne, hominis corrupti to-
 talem mutationem, atque ad genuinæ sanctitatis ty-
 pum per Spiritum S. efficacem conformationem.

10. Respondet, ne plura accumulamus, Jo-
 hannes: *Scitis Christum patefactum esse, ut peccata no-*
stra tolleretur. Tum demum peccata propriè tollere
 dicendus est, cum non modo poenam peccatis de-
 bitam satisfactione suâ aufert, sed & ipsum in nobis
 peccatum, ejus vim & dominium destruit, ut peccato
 mortui simus, vivamus autem Deo per Christum Jesum
 Dominum nostrum. Cum non amplius auscultamus ei
 in cupiditatibus corporis, nec sistimus membra nostra ar-
 ma in justitiæ peccato, sed sistimus nos Deo ut ex mortuis
 vivos, & membra nostra arma justitiæ Deo. Inter-
 pretem Johanni damus ipsum Johannem, sermo-
 nem suum ita prosequentem: *quisquis in eo manet,*
non peccat; quisquis peccat non vidit eum, neque novit
eum. Filioli, nemo vos seducat: qui exercet justitiam,
justus est, sicut ille justus est: qui dat operam peccato ex
Diabolo est: ad hoc manifestus factus est Filius Dei, ut
dissolvat opera Diaboli vid. & antec. Hoc itaque est
 auferre peccatum, facere, ne homo amplius peccet,
 ne operam det peccato, ut justitiam exerceat, sicut
 ille justus est: Hoc est destruere opera diaboli, in-
 ter quæ præcipuè peccata referenda. Quid itaque
 illud sit, cujus gratia Filius Dei humanam nostram
 assumsit carnem, ex unanimi Angelorum, Christi
 atque ejus Apostolorum patet testimonio: nimirum
 ut

1. Joh. III.
5.

Rom. VI.
12. 13.

ut destructo in nobis peccati habitu, novum sibi populum conderet *Zelotem bonorum operum.*

11. Hic demum erat dignus finis adventus Domini nostri, Dei illius in secula benedicti: Non aliam ob causam decuit Deum, qui *diligit Justitiam oditque omnem improbitatem*, in terras descendere. Expectabat cœca Judæorum natio magnum aliquem Principem, nobilem bellatorem, insigni clade hostes affecturum, Judæorumque cervicibus jugum depulsurum: ita non decuit Deum ad homines accedere: venit & ex constituto Dei consilio venit contemptus & abjectissimus virorum, idem tamen gloriâ unigeniti Filii Dei præditus: venit princeps, non ex fuso hostium sanguine truculentisque actionibus sibi nobile paraturus nomen, non ex spoliis detractis hostibus subditos suos ditaturus, sed princeps pacis, qui sublatâ inimiciâ inter Deum hominesque, remotoque obice hominem à Deo separante, peccato, utrosque conciliaret, *pace per sanguinem crucis factâ ita quidem, ut qui quondam erant abalienati & hostes, mente operibus malis intenta, eos sisteret sanctos & inculpato & irreprehensos in conspectu suo.* Venit, non qui à Judæorum humeris Romanum excuteret jugum, sed qui *expoliata imperia & potestates spirituales, triumphatis illis palam traduceret, nosque eriperet ex potestate tenebrarum atque in suum transferret regnum.* In quo nonnisi *justitia, pax & gaudium per Spiritum S. obtinet.*

Rom. XIV.

17.

12. II. Idem docet natura atque scopus revelationis Evangelicæ, seu in genere, seu per varias ejus partes consideratæ. Aliquem Deum sibi revelando doctrinam Evangelicam proposuisse finem, eumque

eumque in finem revelationem suam efficacissime adaptasse, in propatulo est. Quis ille finis sit, scire cupis? Audi Zachariam Spiritu S. plenum, naturam revelationis Evangelicæ per Christum ita explicantem: *Memor est Deus fœderis sui sancti & jurisjurandi, quod juravit Abrahamo patri nostro, nimirum se daturum nobis, ut sine metu, è manu inimicorum nostrorum liberati serviamus ipsi, cum sanctitate & justitia in ipsius conspectu cunctis diebus vitæ nostræ &c.* Audi ipsum Christum, credentibus Judæis hæc inculcantem: *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas vos in libertatem vindicabit.* En hîc characterem discipuli Christi: *Manet in sermone Christi: En hîc genium doctrinæ Christianæ: Cognoscetis veritatem; cui bono? Veritas vos in libertatem vindicabit.* Hæc vero libertas quid aliud, quam libertas à dominio peccati, & promptissimum studium sanctitatis, interprete ipso Servatore? *Amen, amen dico vobis, quisquis operam dat peccato, servus est peccati.*

Luc. I. 72.

Joh. VIII.
31.

vers. 34.

13. Audi Paulum, indolem doctrinæ Christianæ ita depingentem: *Est agnitio veritatis quæ est secundum pietatem, ad spem vitæ æternæ.* Habes definitionem Theologiæ nostræ: *Quid quæris aliam? Est agnitio veritatis, non cujusvis, non theoreticæ tantum, non sterilis, non otiosæ: Sed secundum pietatem.* Illam tantum docet veritatem, quæ ad pietatem, ad amorem Dei & proximi, uno verbo, ad praxin genuinæ sanctitatis ducit, ut firmam spem beatæ immortalitatis animo concipere queat discipulus ejus. Hîc vix se cohibebunt, quin dicam scribant Paulo jejunæ definitionis, qui Theologiam

Tit. I. 1.

in infinitis quæstionum speculativarum labyrinthis consistere sibi persuadent. Quid? Theologiæ cognitio sit pietatis tantum cognitio? Quam nemo non vel ex fœce plebis sibi non magno negotio comparare potest? Quo ergo ardua illa rerum difficillimarum scientia, quâ immensum vulgo antestare nos & credidimus ipsi & aliis persuadere laboravimus? Quo nobis spinosissimæ illæ difficultates, de discrimine inter generationem Filii & processionem Spiritus, de loco, motu, numero Angelorum &c. absque quarum cognitione non magis quem Theologum esse existimavimus, quam Musicum sine instrumento? Hæc ne multum ad praxin piæ vitæ conferre credamus? Fateor, me, quid ista, atque alia his similia ad hunc scopum conferant, prorsus ignorare. Et tamen non aliam nobis Theologiæ descriptionem dedit Paulus, quam quæ ad pietatem ducit: ut adeo qui diversam hîc nobis ejus tradunt indolem, novæ cujusdam ac diversæ à Paulinâ doctrinæ auctores habendi sint. Quo minus de mente ejus dubitemus, facit amplior ejus in sequentibus descriptio, ita luculenta, ut gravioribus & *ἐπιφαινωτέροις* verbis illa depingi neutiquam potuisset. Hæc enim Pauli aut potius Christi Theologia, quam ille *gratiam Dei salutiferam* appellat, *erudit nos, ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus temperanter & justè & piè vivamus in præsentî seculo, expectantes beatam illam spem.* Hæc est peculiaris disciplinæ Christianæ ratio, hæc ejus nota characteristica, hic scopus, ad quem reliqua omnia collimant, ut & omnes fibras malitiæ omnesque affectus carnales ex corde professorum suorum funditus

Tit. II, II.
12.

tus eradicet, eosque omni virtutum splendore adversus Deum, proximum & seipsos ornet, quo ita ornati contemptis præsentis vitæ deliciis & vanitatibus, ad æternam illam beatamque vitam à Salvatore promissam magno animo aspirare audeant.

14. Audi tandem (ne plures jam in testimonium advocemus) Jacobum: *θεσκεία καθαρά*
Religio munda & incontaminata apud Deum & Patrem Jac.I. 27.
hæc est, invisere orphanos & viduas in afflictione ipsorum,
& immaculatum sese conservare à mundo. Quid potuit magis perspicuum? Nihil hîc de quæstionibus subtilibus: Nihil hîc de scholarum nostrarum rixis: Nihil hîc de sublimibus illis Theologiæ capitibus, in quibus nonnulli integras suas delicias quærunt: Essentiam religionis suæ collocat in operibus charitatis, & puritate vitæ. Scilicet hæc demum est ἡ ἀνὼθεν σοφία, *primum quidem quæ casta est,* III. 17.
deinde pacifica, æqua, obsequens, plena misericordiæ &
fructuum bonorum, absque disceptatione & minime simulata.

15. III. Quod si jam singulas, quibus constat, Christianæ doctrinæ partes excutere velimus, nullo negotio constaret, eam esse illarum naturam, eam indolem, eam ad se invicem relationem, ut quam efficacissimè vitam humanam reformare, eamque omne genus virtutibus exornare aptæ natæ sint. Hîc vero nobis integra tradenda esset Theologia: Excutienda esset universa Christiana revelatio, si, quam singulæ ejus partes ad finem istum tendentiam habent, explorare vellemus. Potiores duntaxat partes quomodo eo tendant & inter se conspirent. verbo attingere, haud præter rem fuerit. Exhibet nobis

nobis revelatio Christiana varias historias, exhibet prophetias & vaticinia, exhibet dogmata credenda, exhibet præcepta vitæ, exhibet promissiones & comminationes: quorum nullum non aut in universum totius vitæ sanctitatem, aut hujus illiusve virtutis particularis officium nobis commendat.

16. Historiæ Christianæ ea est indoles, ut proponendo varii generis virtutum & vitiorum exempla, ad illas nos validè incitet, ab his deterreat. Præprimis hûc facit historia ipsius Domini Jesu, à quatuor scriptoribus diversis magna diligentia adornata, eum inter alia in finem, ut hujus ad exemplum totam vitam nostram moresque componeremus. Dubio equidem caret, voluisse Dei Spiritum, cujus ope hæc conscripta est historia, & singularem Dei propensissimumque in genus humanum affectum in vitâ Salvatoris nostri patefacere, & firmissima nobis solidæ fidei argumenta suppeditare. Verùm hæc ipsa eo tendunt, ut mirificam hanc *Φιλανθρωπίαν* Dei probè perpendentes, plenoque animi assensu divinam veritatem recipientes, vicissim tenerrimum amorem erga ipsum conciperemus, atque omni bonorum genere, quæ coram oculis ejus grata, abundaremus. Tum vero hunc præterea scopum propositum fuisse Deo, ut in vita Jesu pulcherrimum typum sanctitatis haberemus, secundum quem vita nobis esset instituenda, dubitare nos non sinit ipsius Dei declaratio. Ipse Dominus se in exemplum sistit: *Attollite jugum meum in vos & discite à me, quod mitis sim & humilis.* Humilitatem atque ita alias virtutes suo commendat exemplo: *Exemplum præbui vobis, ut prout ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Unde

Matth. XI.

29.

Joh. XIII.

15.

Unde discipuli ejus haud perfectius vitæ sanctæ exemplum se aut sibi aut aliis proponere posse existimarunt, quam hoc: *Is sit affectus in vobis qui fuit & in Christo Jesu. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

Phil. II. 5.
1. Cor. XI.
add. 1. Pet.
II. 21.

17. Et sane ut vita Christi singulæque ejus actiones nihil nisi præclari in se habuere, ita nullum fere est virtutis genus, ad quod illa nos non incitare, nulla vitii forma, à quâ illa nos non absterre potis est, in quocunque etiam statu divina nos providentia collocaverit. Illas imprimis virtutes nostræ imitationi serio commendat, quæ ut longè difficillimæ, ita genuinis ejus discipulis præ aliis necessariæ sunt: quas qui possidet, non facile carebit reliquis; integerrimus scilicet amor Numinis, mirificus contemptus rerum mundanarum, voluptatum, omniumque carni abblandientium fuga, sui ipsius abnegatio, invicta in adversis patientiâ armatus animus, spes erecta in Deum, nulli ærumnæ, labori nulli succumbens, sincera & prompta injuriarum etiam gravissimarum condonatio, beneficentia singularis nec ipsis hostibus nostris deneganda & quæ sunt istud genus alia tam illustria, ut nequidem jurati ejus adversarii ab admiratione sibi temperare quiverint, nos vero tacita quasi vi ad imitationem alliciant. Scire cupis, tuus quis scopus præcipuus in hac vitâ esse debeat? Intuere Domini exemplum ideo se natum confirmantis, ut Dei voluntatem exqueretur, reliqua vero omnia præ hoc nihili facientis. Scire cupis, quoloco tibi mundana gloria, comoda, voluptates sint ponenda? Docebit exemplum Christi eam vitæ sortem eligentis, quæ ple-

risque vitæ commodis orbata maximisque calamitatibus obnoxia, perpetuum miseriæ quasi theatrum fuit. *Non enim venit ut sibi ministretur, sed ut ipse ministret, cumque dives esset, propter nos pauper factus est.*

Matth. XX. 28. *Quomodo animus in gravissimis ærumnis confutatus sit erigendus, quoque respicere debeat, scire cupis? Intuere in fidei ducem & consummatorem Jesum, qui pro sibi proposito gaudio sustinuit crucem ignominiam contemtâ, & ad dextram throni Dei consedit. Ita in aliis virtutibus. Nemo enim post mundum conditum talis exstitit, nisi Christus qui & verbo patientiam tradidit & doctrinam præsentis virtute firmavit.*

2 Cor. VIII. 9. add. Joh. XIII. Phil. II. Hebr. XII. 2. Lactant. Lib. IV. 23.

18. Vaticinia doctrinæ Christianæ interspersa eodem tendere, vix admonitione opus habet. Illorum enim eadem plane est ratio, quæ Historiarum atque Dogmatum: quæ cum ad praxin piæ vitæ directæ sint, & vaticinia eo dirigi necesse est; cum id tantum discriminis observetur inter historiam & vaticinium quod illa rem jam gestam, hæc futuram demum repræsentet. Prædicuntur modo res lætæ, modo adversæ: Illæ rationem promissionum, hæc comminationum habent; utræque vero ad praxin vitæ tendunt; illæ animum dejectum erigunt, ut spe promissionum erectus in stadio pietatis alacriter decurrere pergat: hæc & poenam impios manentem denunciant, & pericula imminencia cautè declinare docent, & animum invicta patientia corroborant. Prænunciat Servator adventum Pseudoprophetarum & Pseudochristorum: Quem in finem? *Videte ne quis vos seducat.* Prænunciat bella & rumores bellorum: Quem in finem? *Videte ne turbemini, oportet enim omnia hæc fieri.* Prænunciat fames,